LACTANTIUS

Oberitalien, 2. Drittel 15. Jh. (nach Wasserzeichenbefund) Seite 108r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Tacentibus certe nihil credimus: sicut ne seuientibus quidem credimus.
Imitentur nos aut rationem rei tocius exponant: Nos n. non illicimus:
ut ipsi obiectant: sed docemus. probamus. ostendimus. Itaque nemo a nobis
retinetur inuitus: Est n. inutilis deo qui deuotione ac fide caret: Et tamen
nemo discedit ipsa veritate retinente: Doceant isti hoc modo: si qua illis
fiducia veritatis est: loquantur. discant. audeant inquam disputare nobiscum
aliquid eiusmodi: Iam profecto ab aniculis: quas contempnunt et a pueris
nostratibus error illorum ac stulticia ridebitur Cum n. sint pietissimi deorumque
progeniem et res gestas et impietas et interitus et sepulcra de libris nouerint.
ipsosque ritus quibus sunt initiati. Vel ex rebus gestis hominum. vel ex causis. vel et
ex moribus natos sciant: incredibilis dementie est deos putare: quos fuisse
mortales negare non audeant: Vel si tam impudentes fuerint: ut negent.
sue illos ac suorum hereditate coarguant: Ipsa denique illos sacrorum initia conuincant.
Sciant igitur ex hoc ipso quantum intersit inter verum et falsum. quoniam ipsi
cum sint eloquentes. persuadere non possunt: imperiti ac rudes possunt. Quia
res ipsa et veritas loquitur: Quid ergo seuiunt: ut stulticiam suam. dum
minuere uolunt. augeant: Longe diuersa sunt carnificina et pietas. nec
potest aut veritas cum ui. aut iusticia cum crudelitate coniungi: sed merito non
audent de rebus quicquam docere diuinis: ne et a nostris derideantur: et a
suis deserantur: Nam vero uulgus: cui simplex incorruptumque iudicium
est. si misteria illa cognoscant in memoria mortuorum constituta: damnabit.
aliudque uerius: quod colat: queret: Hinc fida silentia sacris instituta sunt
ab hominibus callidis. ne sciat populus quid colat. Cum autem nos in eorum doctrinis
uersemur: cur nobis aut non credunt. qui utrumque nouimus. aut inui
dent: quia falsis vera pretulimus: Sed defendenda sunt: inquiunt suscepta
publice sacra. O quam inhonesta voluntate miseri errant. Sentiunt n. nihil
esse in rebus humanis religione prestantius. eamque summa uioportere defen
di. sed ut ipsa religione. sic in defensionis genere falluntur: Defendenda
n. religio est: non occidendo. sed moriendo. non seuitia. sed patientia. non
scelere. sed fide. Illa n. malorum sunt. hec bonorum: et necesse est bonum in reli
gione uersari. non malum: Nam si sanguine. si tormentis. si malo religio
nem defendere velis: iam non defendetur illa: sed polluetur atque uiola
bitur: Nihil est tam voluntarium: quam religio: in qua si animus sacrificantis
aduersus est: iam sublata. iam nulla est: Recta igitur ratio est: ut religionem
patientia uel morte defendas: in quo fides conseruata et ipsi deo grata est.
et religioni addit auctoritatem. Nam sus: qui in hac terrestri milicia regi suo
fidem seruat in aliquo egregio facinore: si postea uixerit acceptior sit et ca



Non uis sed voluntas placet deo.

Res ipsa et veritas loquitur.

Vulgi simplex et incorruptum iudicium

Voluntaria debet esse religio.